

quorum illa quidem morali æstimatione manent, postquam actus peccati ipse physicè omnino præteriit, & esse desiit, hæc vero non omni ex parte esse desierunt, sed physicè & realiter etiam permanent. Res enim ad hunc habet modum. Quando Petrus abnegat Christum, *Matth. XXVI.* ille quidem actus seu ipsa abnegatio transit, ac esse desinit, permanet autem æstimatione morali, & hoc respectu appellatur peccatum, quia remanet culpa, ob violatam legem contracta, & offensio Dei: quando verò abnegationem sæpe repetit quispiam, non solum sæpè is violat legem, atque Deum offendit, sed acquirit etiam sibi habitum ad hoc idem impostertum faciendum. Non aliter scilicet quantum ad hoc comparatum est cum peccatis Theologicè consideratis, quam cum vitiis in vita civili obvientiibus: nam qui furtum committit, etsi fraudulenta ista rei correctio transiverit, legis de non furando manet violator, & offensio illius, cujus res furto abstulit, perdurat morali æstimatione: at si furtum ille idem aliquoties repeteret non solum legem sæpius violaret, pluresque offenderet, res illis suas auferendo, sed & habitum furandi actionibus illis repetitis sibi compararet. Quemadmodum autem in moralibus, habitus improbitatis talis ad summum perductus, non solum efficit, in improbis ignorantiam universalium, sive ut improbi universales vivendi & agendi regulas ignorent, & ex adverso falsam de rebus agendis foveant sententiam, sed etiam ad bonas virtutum actiones omnino ineptos, ad malas vero & vitiosas actiones promptos & expeditos eos reddit: ita & de hisce habitualibus peccatis docet scriptura, ea importare ignorantiam, eorum, quæ sunt Spiritus, falsas opiniones atque temerariam de illis rebus sententiam, tum & ineptitudinem ad sectanda & appetenda spiritualiter bona, promptitudinem vero & propensionem in malum. Hinc enim *σκότος* aut *tenebra* dicuntur